

Igitur, ex Sigonio , quod infert Dominicus Martyre , in citato multoties M. S. , præter milites , qui in templo erant, Principes Sacerdotum lictores etiam habebant , quorum erat munus , eos vincire, punire , flagellare , qui violatæ religionis rei dicerentur . Et si rei gravioris criminis essent, tunc Sacerdotum Principes , ultra milites , quos ipsi sine tribunis & cohortibus retinebant , alios cum tribunis & cohortibus suis a Præside impetrabant ; ut in Christi passione fecerunt. Non quidem ad poenas infligendas , quæ a suis lictoribus infligebantur , sed ad impediendum seditiones , & ne in reorum suppliciis tumultus in populo fierent; maxime quando rei apud populum magnæ famæ & optimæ opinionis essent , ut Christus erat .

Ad hæc optime faciunt, quæ de Juda in Euangeliō narrantur . Judas enim volens Christum accusare , & tradere , non ad Pilatum , sed ad Pontificem Caiapham , accessit ; ab eoque milites , & lictores , habuit , quibus Christum in Gethsemani villa comprehendit . Sic Matth. 26. , & Marci 14. , legimus . Abiit Judas ad Principes Sacerdotum , & ait illis : quid vultis mibi dare , & ego vobis eum tradam ? Ulterius Joan. 18. Judas non solum cum militibus cohortis , sed cum ministris etiam Judæorum , ad capiendum Christum , venit : Judas ergo , cum accepisset cohortem , & a Pontificibus , & Pharisæis , ministros , venit illuc . Et Joannis 18. vers. 12. Cohors ergo , & Tribunus , & ministri Judæorum , comprehenderunt Jesum , & ligaverunt eum . Sane præfatis in locis fit mentio de militibus , & de ministris . Milites quidem dicitur , quod Præsidis erant , quum cohortem constituerent , & sub Tribuno essent . Ministri autem Judæorum erant , ut expresse in Euangeliō legitur . Quinam potius ligare , comprehendere , & du-